


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


AH
3980
12.10

Digitized by Google

H 3980.12.10

Bil Geog.

Bd. 1873.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)
29 February, 1872

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SOLEMNIA NATALITIA

REGIS AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI III.

DIE III. AUGUSTI

AB ALMA ACADEMIA BORUSSICA RHENANA

PUBLICE PIEQUE CELEBRANDA

RECTORIS AC SENATUS NOMINE

INDICIT

DR. JOANNES MARTINUS AUGUSTINUS SCHOLZ,
ORDINIS THEOLOGORUM CATHOLICORUM P. T. DECANUS.

Praemissa est Commentatio de Golgothae et sanctissimi D. N. J. C. sepulcri situ.

BONNAE 1825.
TYPIS THORMANNIANIS.

Digitized by Google

~~42.95~~
AH 3980.12.10
✓

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1872, Feb. 29.
Minot Fund.

Digitized by Google

§. 1.

Quum ante hos tres annos ab itinere redux itinerarium *a*) ederem, ut singula quaeque a me observata argumentis plana facerem, neque consilium meum postulabat, neque temporis ratio favebat. Quapropter mihi propositum est, occasione data cum alia ibi prolata maiori studio expendere, tum maxime antiquitatis monumenta, de quibus haud pauca vulgo male exponuntur, diligentius pertractare.

Inter haec non ultimo loco ponendum est sanctissimum Domini Nostri Iesu Christi sepulcrum. Communis est et seculis fere septendecim omnium Christianorum consensu firmata opinio, Salvatorem nostrum eo in loco fuisse cruci suffixum et sepultum, ubi nunc sanctissimi sepulcri ecclesia conspicitur.

Hanc vero opinionem falsam esse, viris doctis nostri aevi fere omnibus extra dubium positum esse videtur. Golgotha enim, quia locus supplicii, a quo hortus cum sanctissimo sepulcro parum abfuit (cf. Io. 19, 41. 42.), ex lege mosaica (cf. Num. 15, 35. 1. Reg. 21, 13), et romana (cf. Cic. de legg. II., 23. Plaut. mil. glor. II., 46.) necessario extra urbem fuit, nec

a) *J. M. A. Scholz, Reise in die Gegend zwischen Alexandrien und Parätonium, die libysche Wüste, Siwa, Aegypten, Palästina und Syrien in den Jahren* 1821 *und* 1822. *Leipzig* 1822.

Digitized by Google

intra illam fuisse, ex Io. 19, 17. 20. Hebr. 13, 12. perspici potest. Quum autem haec duo loca media fere in civitate nunc ostendantur, genuina Titi et Hadriani temporibus plane destructa hodieque ignota esse credunt.

Multum sane abest ut haec disceptatio facili negotio ad liquidum perduci, aut aliquot pagellarum ambitu terminari possit: Illud tamen brevi hac commentatione me effecturum puto, ut non solum appareat, nullam esse rationem, cur veterum sententia reiiciatur, sed ad hanc ipsam confirmandam omnia perquam esse idonea. In exponendo vero hocce argumento, mihi videor ita versari debere, ut primum ex ipsis fontibus, ex N. T. scilicet scriptoribus et Flavio Iosepho de situ loci utriusque quaeram, deinde ex hodierna Hierosolymae facie illos accuratius definiam, veterumque sententiam probem.

§. 2.

Utriusque loci primo mentionem faciunt N. T. scriptores, ita tamen ut eorum situs pro certo definiri non possit. Referunt: milites Christum a Pilato in Golgotham abducentes, ut eum cruci suffigerent, ex urbe exiisse (cf. Mt. 27, 32. Mc. 15, 20. Luc. 23, 26. Io. 19, 17.), Iosephum Arimatheensem, qui ibidem versabatur, Pilatum aditurum, ut corpus Christi expostularet, sepeliretque, in eandem intrasse (cf. Mc. 15, 43.), hunc locum urbi vicinum (cf. Io. 19, 20.) *a*), sed extra urbis portam fuisse (cf. Hebr. 13, 12.) *b*): est igitur apertum, Golgotham extra urbem sitam fuisse. Hierosolymae enim ut Romae more quodam legeque receptum fuit, ut locus supplicii extra urbis portam esset. Sed eundem nec ab urbe *c*) nec a praetorio vel arce Antonia fuisse remotum, vicinumque viae publicae, ubi permulti transire solebant *d*), ex iisdem locis supra laudatis apparet.

Ibidem agrum vel hortum proprium, in eoque sepulcrum in saxis incisum habuit Iosephus ille (cf. Io. 19, 41.), cuius ea fuit in Dominum No-

a) ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως.

b) ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε.

c) cf. Io. 19, 20.

d) cf. Mt. 27, 39. Mc. 15, 29. Luc. 23, 35. Io. 19, 20. Fuit hoc in usu apud veteres cf. Lamprid. c. 23. Quintil. Dec. 275. Cicer. Verr. 66.

Digitized by Google

strum liberalitas, ut illud ei assignaret (cf. Mt. 27, 59. Mc. 15, 46. Luc. 23, 53. Io. 19, 38. 42.). Illius custodes summis pontificibus nuncium de Christi resurrectione allaturi, in urbem intrare (cf. Mt. 28, 11.), Petrus vero et Ioannes, sepulcrum visuri, ex urbe egredi (cf. Io. 20, 3.) debebant: igitur etiam Domini Nostri sanctissimum sepulcrum extra urbem situm fuisse dubitari non potest. Erant enim plerumque sepulcra extra urbem tam ex lege divina (qua cautum est a pollutione sacrorum, quae contaminatum iri existimabant, si intra urbis moenia sepelirentur), quam ex civili, ne aër putrefieret. Praetorio erat inferius, quod ex voce ὑπάγετε (descendite), qua Pilatus summos sacerdotes et pharisaeos, custodiam pro sepulcro postulantes alloquitur (cf. Mt. 27, 65.), apparere videtur, viae publicae vero proximum, quod ex consuetudine antiquorum coniici potest, qui sepulcra in parte viam spectante, condi iubebant, ut viatores de mortalitate admonerentur.

Erant igitur et Golgotha et s. sepulcrum extra urbis moenia, huic praetorioque vicina, prope viam publicam in loco quodam depressiori, ubi horti olim fuisse videntur. Quae, etsi in universum locum tantummodo designent: eo tamen inserviunt, ut, si de Hierosolymae situ, qualis Christi tempore fuerit, diligentius disquiramus eumque cum hodierna urbis facie accuratius comparemus, de positione atque natura locorum, de quibus tractamus, vix dubitandi locus relinquatur.

§. 3.

Primum igitur investigemus oportet locum, in quem omnia bene quadrant indicia §. praecedenti allata.

Versus orientem, meridiem et eam regionem, quae sita est inter meridiem et solis occasum, urbem circumdabant valles profundissimae. Quae, cum ab utraque parte rupes haberent praecipites, nec sepulcra complecterentur, neque praetorio vicinae essent, in disceptatione de Golgothae et S. Sepulcri situ iure praetermissae sunt. Versus septentrionem, ubi magna planities late patebat, Bezetham habes, e regione turris Antoniae ab Herode templo adiunctae fossaque profunda ab hac seiunctam, a Iosepho καινόπολις vel νεόκτιστον μέρος τῆς πόλεως dictam a), atque ab Agrippa demum muro

a) Ios. de bell. iud. V, 4. §. 2.

Digitized by Google

cinctam b): Porrigebatur partim ad hortos, partim ad sepulcra innumera, quae circumquaque in collibus et montibus, vel ad eorum radices exsculpta adhuc existunt. Golgotham autem longo spatio a sepulcris hebraeorum; quippe qui hunc locum abhorrescebant abfuisse, quivis facile concedet. Cum igitur loca, de quibus nobis sermo est, nec in hac regione fuisse probabile sit, iam superest, ut ea de parte, ubi erant horti, atque de ea, quae sita est inter occasum solis et septentrionem, quaeramus.

Hac ex regione, urbem murus tantum cingebat c), qui a turri hippica versus borealem tractum sese usque ad turrim psephinam extendebat, deinde ex adverso monumenti Helenae Adiabenorum reginae sese protendebat, donec antiquo muro coniunctus desinebat in vallem Cedronem d). Sion et Acra ab eodem a parte septentrionali munita erant. Inter utrumque hac ex parte erat vallis Aeser, versus meridiem valli caseariorum (τυροποιῶν φάραγγι), ad Siloam, tendenti contigua e). Praeterea finitima fuit haec vallis foro quod dicitur: δοκῶν ἀγορά f), quae cum versus regionem, quae est inter occasum solis et septentrionem, longe dilataretur; montem Gihon complectebatur, nec muris, qui urbem cingebant, circumscripta erat.

Nihil obstat, quominus statuamus, hac in regione loca haec sita fuisse. Erat enim urbis muro vicina prope viam publicam, quae per portam ferream in urbem ducebat, nec longinqua a praetorio, scimusque ex Flavio Iosepho ibi hortos et vineas fuisse g).

b) Ios. Ant. XIV, 3. de bell. iud. V, 4. §. 2.

c) moenium duorum reliquorum hic non esse rationem habendam quivis vel me non monente intelligit.

d) Ios. de bell. iud. V, 4. §. 1.

e) Ios. de bell. iud. V, 4. §. 1.

f) Ios. de bell. iud. II, 19. §. 5.

g) Ios. de bell. iud. V, 2. §. 2. ἐκτετάφρευτο ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις δὲ ἐπικαρσίοις καὶ πολλοῖς ἕρκεσι διειλημμένα.

Digitized by Google

§. 4.

Si locum accuratius definire velimus, necesse est, ut in huius muri valliumque vestigia, quae adhuc supersunt, inquiramus.

Facile quidem concedimus et muros et urbis figuram crebris destructionibus valde immutata esse; nec tamen ita, ut non multa etiam dignosci possint. Sic v. g. valles declives inter Sionem, Acram, Moriam et Bezetham, prorsus fere evanuerunt; montes tamen adhuc disiuncti sunt locis depressioribus, qui quin olim fuerint valles, eaeque ex antiquissimis temporibus originem ducentes, vix dubitari potest. Vallis autem casceariorum fuisse videtur in loco illo depressiori, ubi nunc tabernariorum, et iudaeorum habitacula, multaeque synagogae in via iudaeorum (charet-el-iehud), reperiuntur. In valle, quae olim Aeser dicebatur, nunc est domicilium mercatorum (basar), locus ille depressior, qui est infra hospitium et cisternam S. Helenae, via angusta, in qua est emporium quaeque circumdat montem Calvariae a parte orientali et meridionali. Praeterea eadem in valle via a parte septentrionali monasterii magni graecorum, quae occidentem versus cum via el-birket, in quam ab utraque parte per scalas descendere oportet, coniuncta est, et locus depressior ille, qui hortum portae, el Chalil vicinum transgreditur vallique Rephaim et Gehennom olim finitimus, fuisse videntur.

Sionem septentrionem versus ita circumscribendum, eiusque limites non magis arctandos esse vel inde patet, quod meridiem versus undique altior est, nec locus depressior inde a via el-birket, via monasterii graecorum, via templi et inde ab hospitio S. Helenae usque ad portam Davidis deprehenditur. Nec versus septentrionem eius termini magis extendendi sunt. Quis enim crediderit, in monte Sione, qui ex lapide calcario consistit, cavum vertice Sionis triginta fere pedibus inferiorem, qui quartam partem milliaris germanici in longitudinem patet, unquam fuisse excisum. Praeterea versus septentrionem locus depressior alius, qui Sionem hac ex parte circumscripserit, vel in valles Rephaim et Gehennom sese extenderit, non reperitur. Monticulus enim, qui septentrionem versus valli supra descriptae confinis est, late patet, et formae eius mutatae ne vestigium quidem apparet.

Digitized by Google

§. 5.

Murorum, quos §. 3. significavi, vestigia, quae adhucdum conspiciuntur, ad hanc nostram vallis circumscriptionem optime congruunt. Turrim hippicam eo in loco fuisse sitam, in quo nunc vides castellum pisanum vel turrim Davidis, persuasissimum mihi est. Inferior enim eius pars ex maximis quadratis sed impolitis saxis erecta magnam prae se fert antiquitatem, superior vero magis politis lapidibus exstructa illa est multo recentior. Forma eius antiquissima fuit quadrata, singula latera latitudine et longitudine viginti quinque cubitos patebant, quod utrumque ad hippicam, a Iosepho descriptam, accomodatissimum est *a*). Non equidem me latet, plerosque, ne dicam omnes viros doctos post D'Anvillium, hunc locum psephinae turri assignasse, sed quibus ducti sint rationibus, vix video. Flavius Iosephus quidem in eo, quo descriptionem huius turris exhibet loco *b*), refert: eam fuisse octangularem, et in angulo septentrionem et occidentem versus sito eductam. Atvero formae octangularis ne vestigium quidem in castelli pisani substructionibus deprehenditur, nec angulus hoc in loco esse potuit. Tertius enim murus, qui incipiebat a turri hippica, borealem versus tractum ad turrim usque psephinam, atque ex adversa parte, meridiem versus secundum vallis directionem flectebat.

Iosephus porro asserit, muri, qui meridiem versus tendebat, ambitum inde a psephina ad occidentem spectasse *c*). Sed ad occidentem murus vergere non potuit eo in loco, in quo est castellum pisanum. Hac enim in regione vallem profundissimam Gehennom, quae Sionem occidentem versus muniebat, semper fuisse nemo qui suis oculis regionem contemplatus est negabit.

Ibidem refert: partem exercitus Titi iuxta turrim hippicam castra posuisse, quod Titi iussu factum fuisse, non verisimile est, si magis versus meridiem ubi erant valles profundissimae Gehennom et Siloan, haec

a) de bello iud. V, 4. §. 1. sqq.

b) ibid.

c) de bello iud. V, 3. §. 5. πρὸς ὃν ὁ κύκλος τοῦ τείχους πρὸς ἄρκτον καθήκων, ἀνακάμπτει πρὸς δύσιν.

Digitized by Google

turris ponenda esset. Nonne maximam prae se fert veri speciem, in tanto circuitu, quantus est inter hoc castellum et arcem Antoniam, fuisse turrim (qua scilicet urbs a parte septentrionali praemuniretur) hippicae mariamnae et phasaelo similem? Quod vero neutiquam concedi posset, si castellum pisanum olim turris psephina fuisset.

Contra, omnia bene cohaerent, si statuamus, turrim hippicam fuisse eo in loco, in quo est castellum portae, quae nunc bab-el-chalil dicitur, olim portae piscium vel negotiatorum nomen habuit, vicinum, quod Israelitis *d*), Macedonibus, Romanis, Graecis, Arabibus, militibus in expeditione sacra, Pisanis, Turcisque propugnaculum fuisse constat, quodque, quoniam viae publicae omnium frequentissimae ad mare mediterraneum ducenti atque valli Rephaim minus profundae finitimum erat, in praesidium urbis maxime necessarium videri debuit.

Non desunt vestigia muri, qui erat inter turrim hippicam et psephinam. In horto enim portae piscium vicino, in quo forsan piscina fuit, conspiciuntur rudera, quae cum arcu illo, ubi ex loco depressiori per scalas in montem Gihon ascenditur, cohaerent. Castellum equitum ordini Ioannitarum adscriptorum, moenibus antiquissimis superstructum fuisse iam in itinerario exposuimus *e*).

Huic confinia sunt rudera carceris s. Petri, in quem Herodes Agrippa, interfecto s. Iacobo maiori, apostolorum principem coniecit, ut eum cruci suffigeret Iudaeis rem gratam facturus. Hunc fuisse extra urbem, sed in ambitu muri, ex Act. 12, 10 patet *f*). Porta enim illa ferrea, in urbem ducens, et turri cuidam angulari (turres eiusmodi angulares nonaginta in muro tertio fuisse *g*) scimus) et custodiae, in qua s. Petrus tenebatur, loco supplicii vicinae iuncta fuisse videtur.

Sunt etiam aperta muri tertii vestigia in emporio, quod est a parte orientali ecclesiae sanctissimi sepulcri.

d) idem esse videtur, quod Neh. 3 memoratur.

e) J. M. A. Scholz Reise p. 168. et 169.

f) διελθόντες (scil. angelus et s. Petrus) δὲ πρώτην φυλακὴν καὶ δευτέραν, ἦλθον ἐπὶ τὴν πύλην τὴν σιδηρᾶν, τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν λ.

g) Ios. de bell. iud. V, 4. §. 3.

Digitized by Google

Psephinam turrim illam excelsam ea in regione fuisse, quae huic emporio vicina est, videlicet inter castellum s. Helenae, et portam iudiciariam, certissimum mihi videtur. Iosephus vel aperte dicit vel innuit *k*), eam a porta Ephraim (nunc porta damascena vel bab-el-amud), parum distantem fuisse. Eam fuisse in extrema parte boreali Sionis, vel τῆς ἀνωπόλεως, e regione Acrae vel τῆς κατωπόλεως ei viae confinem, quam nunc harat bab-el-amud vocant, in quam descendis, si ex monasterio s. Salvatoris per viam dolorosam (harat-el-nasareh), orientem versus usque ad portam iudiciariam proficiscaris, ex aliis indiciis coniici potest.

Turris haec in ea muri tertii parte sita fuit, ubi ille in angulum ad septentrionem et occidentem situm abibat. Anguli autem nomen in aliam huius muri partem vix melius congruit, quam in hanc. Nam inde a psephina altera muri pars versus eam regionem tendebat, quae est inter occidentem solis et meridiem; altera vero septentrionem versus, deinde orientem versus e regione monumenti Helenae, Adiabenorum reginae, vergebat, unde per speluncas regias in longum ducta inde a porta Ephraem ad eam Herodis (nunc bab-ez-zahari) in angulari turri prope monumentum fullonis flectebatur, et antiquo muro coniuncta in valle Maeon inter Acram et Moriam in vallem Cedronem desinebat. Deinde probabilis coniectura est, in parte extrema boreali Sionis, et occidentali Acrae non simplicem fuisse murum, sed turrim altissimam, qua urbs a parte septentrionali aliis praesidiis spoliata contra irruentes hostes defendi posset.

Probant denique nostram sententiam reliquiae murorum ex saxis quadratis mirae magnitudinis constructorum, quos prope portam iudiciariam conspicis, quosque esse rudera huius turris, maximam veri speciem habet.

Tot igitur tantaque tertii muri vestigia adhuc ostendi possunt, ut, si illum alio modo describere velimus, quid de hac ruderum immanium serie statuendum sit, vix intelligi possit. Contra vestigia huius muri tertii, si eius descriptionem aliam proponere velimus, plane evanuisse concedendum esset; fragmenta enim moenium, quae magis versus septentrionem vel

k) Ios. de bell. iud. VI, 5.

Digitized by Google

occidentem vel meridiem conspiciuntur, recentiorum domuum reliquiae sunt *i*).

§. 6.

Ex iis quae de ambitu septentrionali Sionis et Acrae exposuimus, sat clare patet, magnam urbis hodiernae partem illam, quae est inter occasum solis et septentrionem, olim extra urbis moenia fuisse sitam, atque huc referendam esse etiam regionem eam, in qua sita est sanctissimi sepulcri ecclesia. Nihil igitur obstat, quominus sententiam, quam christianos semper tenuisse de Golgothae et sanctissimi sepulcri situ constat, amplectamur. Scriptores quidem christiani, qui de terra sancta tractarunt, fere omnes referunt: Golgotham, in qua Dominus Noster cruci suffixus sit, a parte urbis occidentali, ad septentrionem montis Sionis *a*) extra muros civitatis fuisse, sed Aelium Hadrianum, quum Hierosolymam a Tito et semetipso omnino destructam reparandam sibi susciperet, hac ex parte adeo ampliasse urbem, ut locum supplicii et sepulturae Dominicae intra murorum ambitum comprehenderit *b*).

Cum vero Hadrianus totum monumentum plurima humo aggesta penitus abdidisset *c*), locoque ita ad mediocrem altitudinem evecto, ac lapidibus obruto, aedem ac simulacrum Veneris imposuisset: Constantinus dissipatis omnibus impietatis monumentis, sepulcrum, egesta humo, aperuit,

i) cf. I. M. A. Scholz Reise p. 173. sq.

a) cf. Euseb. et s. Hieron. in libro de situ et nom. loc. Hebr. II. p. 451. ed. Mart., ubi ita refert: Golgotha, locus Calvariae, in quo Salvator pro salute omnium crucifixus est, et usque hodie ostenditur in Aelia ad *septentrionalem* plagam montis Sion.

b) Iacob. Hieros. in descript. itin. — Euseb. demonstr. evang. l. 4. p. 406.; de vita Constantini III, 25-35. — S. Cyrill. Hieros. Catech. XIV, 9. expresse dicit: petra, quae speluncam habuit, non intra veteres muros sed intra antemuralia postea extructa ἐν τοῖς ὕστερον γενομένοις προτειχίσμασι sita fuit.

c) quod quare fecerit Hadrianus, nisi locus tum temporis christianis, qui eum secundum morem Israelitarum visitarunt sacramque habuerunt, fuisset in maxima veneratione, non video.

Digitized by Google

eoque in loco *d*) ecclesiam aedificavit *e*). Permultae circa eam domus exstruebantur, atque orta est quasi nova Hierosolyma e regione veteris, ab hac eo tantum diversa, quod magis septentrionem versus et occidentem extendebatur,

§. 7.

Iam superest, ut delineationem Hierosolymae nostram huic disquisitioni annexam, quam itinerario meo addere tempus non patiebatur, exponam. In ea illius potissimum partis rationem fuisse habendam, quae argumentum nostrum spectat, vel me non monente, quivis facile intelligit. Caeterum accuratior haec nostra loci sanctissimi sepulcri definitio situi reliquorum locorum sanctorum, prouti Hierosolymae iis qui sacrorum causa peregrinantur, exponi solet, maximum affert pondus *a*).

Litera *a* designat locum sanctissimi sepulcri.
— *b* — — Golgothae.
— *c* — tertium murum.
— *d* — castellum pisanum vel turrim hippicam.

d) tametsi imperatoriis donis maxime ornatus esset, s. Cyrill. Hieros. tamen asserit Cat. 14, 5 et 9. suo etiam tempore horti vestigia et reliquias superfuisse. Verba eius haec sunt: *εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα νῦν βασιλικαῖς δωρεαῖς ἐφαιδρύντο ἀλλὰ κῆπος ἦν πρότερον καὶ τὰ σύμβολα τόυτου μένει καὶ τὰ λείψανα.*

e) cf. Euseb. Vit. Constant. III, 25. 34. s. Cyrill. Hieros. cat. 12. n. 39. cat. 16. n. 4. cat. 4. n. 10 et 14. cat. 10. n. 18. cat. 13. n. 39., ubi in eadem saepe saepius se praedicasse asserit.

a) Iuvat praeterea repetere, quod iam in itinerario p. 185 asserui: *der unpartheiische Beobachter wird eingestehen, dass das, obgleich sehr veränderte Theater der heiligen Geschichte, so wie es jetzt gezeigt wird, so sehr mit den Beschreibungen der heiligen Schriftsteller und des* Flavius Iosephus *übereinstimmt, dass man eher auf die durch die Tradition bemerkten Orte als auf andere gerathen würde, wenn man ihre Lage zu bestimmen hätte.*

Digitized by Google

— e — murum hodiernum Hierosolymae.
— f — turrim psephinam.
— g — arcem Antoniam.
— h — templum Salomonis.
— i — portam mercatorum vel bab-el-chalil.
— k — — Sionis vel bab-ennibi-Daud.
— l — — stercoris vel bab-el-moggrebi.
— m — — s. Stephani vel bab-sette Mariam.
— n — — Herodis vel bab-essachre.
— o — — Damasci vel bab-el-amud.
— p — Bezetham.
— q — vallem caseariorum.
— r — forum quod dicitur δοκῶν ἀγορά.
— s — viam el-birket.
— t — — monasterii magni graecorum.
— u — — templi.
— v — — christianorum.
— w — monasterium S. Salvatoris vel monachorum ordinis s. Francisci.
— x — piscinam.
— y — castellum equitum ordini Ioannitarum adscriptorum.
— z — portam ferream.

— 1 — carcerem s. Petri, quem cum s. Petrus prout D. N. I. Ch. assecla crucis morte absumi deberet, loco supplicii vicinum fuisse, vix dubitari potest.
— 2 — castellum s. Helenae.
— 3 — portam iudiciariam.
— 4 — viam magnam vel suk-el-kebir.

Sed haec hactenus. Venio ad primarium huius libelli consilium, quandoquidem indicendus nobis est

Digitized by Google

NATALIS

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS

FRIDERICI GUILELMI III

OPTIMI UNIVERSITATIS BORUSSICAE RHENANAE STATORIS ATQUE EVERGETAE

publica oratione cantuque celebrandus.

Habebimus autem solertem interpretem laetitiae et pietatis nostrae collegam doctissimum ac celeberrimum Aug. Ferdinandum Naeke.

Post pie nuncupata vota collegiorum iudicia de dissertationibus, ad quas elaborandas propositae superiore anno ad certamen quaestiones occasionem dedere, promulgabuntur et victores renuntiabuntur.

Ad hanc igitur panegyrin omnes literarum fautores cultoresque, vos inprimis, quorum in hac nostra civitate litteraria partes sunt, huius Academiae Professores et Doctores celeberrimi, Commilitones ornatissimi ea, qua decet observantia et humanitate invitamus.

Verum est etiam nobis, quod certamina illa attinet, aliquid negotii impositum.

Referendum est enim de iis, qui ante hunc annum aut coronati fuerunt aut parte praemii ornati, tum nova proponenda iuvenili diligentiae incitamenta. Ea de re haec nobiscum communicata sunt:

I. ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM commilitonibus in arenam descensuris proposuerat hasce duas quaestiones, *alteram* quidem iteratam illam „*de finitioribus christianae fidei ante Synodum Nicaenam formulis, earumque initiis atque augmentis*," *alteram* vero novam hanc:

Digitized by Google

»*Exponatur doctrina biblica de diabolo, ita, ut insignioribus, quae huc faciunt, V. tum N. T. locis breviter illustratis, tales inde notiones ac definitiones, quibus scholastica dogmatum doctrina utitur, i. e. quae ab omni verborum atque imaginum ambiguitate liberae sint atque reductae, eliciantur, idoneisque rationibus firmentur.*«

Quod ad priorem illam quaestionem attinet, qui huic solvendae operam navaret, navatumque opus qualecunque nobis offerret, exstitit nemo. Qua de re quamvis magnopere dolendum, iisdemque de causis, quas ante annum oravimus, conquerendum nobis fuit de commilitonum in hoc studiorum genere inter se certantium paucitate, imo defectu: tamen vehementer gavisi sumus de duorum civium alacritate, qui ad alterius quaestionis tractationem sese accinxerint. Exhibitae enim nobis sunt de hoc argumento commentationes duae, altera his insignita verbis: *Ut desint vires, tamen est spectanda voluntas!* altera dicto illo Paulino ornata: Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν.

Fatemur quidem, neutram desideriis nostris omni ex parte satisfecisse, imo utramque hinc inde imperfectiorem altera evasisse. At vero, quum maiores solito in utraque eminerent atque apparerent et eruditionis et ingenii virtutes, ad certamen ambae facili admissae sunt negotio.

Atque ea, quam primo loco nominavimus, primo quidem adspectu palmam alteri praerepturа nobis videbatur. Est enim scripta stylo paulo cultiori, quamvis multa sint, quae merito reprehendas. Gaudet praeterea speciosa doctrinae philologiae copia, linguarumque imprimis Orientalium promta cognitione et accurata. Neque plane in ea desiderantur in doctrina theologica usus, in iudicio elegantia et acumen. Idem vero quum sensum quaestionis parum intellexerit, eiusdemque partem alteram eamque graviorem neglexerit totam atque omiserit, multaque, quae ad speciem magis, quam ad rem facere viderentur, advexerit aliena, itemque res undique congestas non modo non digesserit, verum etiam iustam tractationis dispositionem temere contemserit, denique gravitatem rei theologicam nimis alienam a se putaverit, factum est, ut spe summi praemii defectus aemulo victoria cederet.

Etenim alterius auctor commentationis totum propositae quaestionis ambitum, interioremque vim probe emensus atque perscrutatus non solum

Digitized by Google

loca utriusque scripturae huc facientia quam diligentissime collegit, collecta rite disposuit, nec sine egregia doctrinae artisque exegeticae facultate illustravit, sed etiam in altera quaestionis parte ita versatus est, ut in investigandis explicandisque notionum biblicarum initiis et incrementis, earumque causis penitioribus extricandis praeclara felicioris ingenii lumina ederet, neque raro verum suo ipse videret acumine. Abstinuit ille quidem a recensendis aliorum sententiis, adeoque omnem apparatum litterarium a commentariolo suo abesse maluit: licet non prorsus laudandus, lectionis tamen suae specimina quamvis tacita prodidit haud obscura. Atque, quod his nostris maxime temporibus imprimis laude dignum videbatur, suo, eoque *libero* ubique iudicio usus est, eodemque tamen modestissimo. Qui quum talis esset, profecto omne tulisset punctum, si modo latinitate usus fuisset castiori, atque barbarismos acrius cavisset, itemque in singulis locis illustrandis ex praescripto aliquanto fuisset parcior, in enodandis vero notionibus dogmaticis, formandisque definitionibus scholasticis prolixior fusiorque.

Quibus omnibus rite religioseque perpensis censuit ordo, ut commentatio, quae spei servatricis nomen et omen in fronte gerit, praemio ornaretur maximo, altera vero in secundo gradu atque praemio cum honore subsisteret.

Hanc commentationem qui scripsit, est PETRUS A BOHLEN, philologiae studiosus, Oldenburgicus; illam qui scripsit, est ANTONIUS ERNEST. GIESELER, theologiae evangelicae studiosus, Guestphalus.

II. ORDINI THEOLOGORUM CATHOLICORUM, qui ad certamen argumentum proposuerat hocce: »*enarretur ex ipsis fontibus, quae crimina primis ecclesiae saeculis in christianos coniecerint Judaei et Ethnici, quid calumniandi ansam dederit; et quibus potissimum argumentis christianae religionis defensores insimulationes has refutaverint:* una tantum exhibita est commentatio.

Quae, cum ob res diligenter a scriptore conquisitas, accuratamque iudicandi scribendique rationem etsi hanc non omnibus numeris absolutam dicas, merito laudetur, ex maiori numero suffragiorum palma digna habita est.

Digitized by Google

Hunc libellum scripsit IO. IOS. GUIL. BRAUN, Theolog. Cathol. Studios., Borusso-Rhenanus ex pago Gronau.

III. ORDO ICTORUM duas proposuerat quaestiones has:

Unam: *de conditionibus probationis per testes ex vetere iurē Germanico.*

Alteram: *Quaenam ratio et quae fata fuerint in iure Romano regulae: per extraneam personam neminem acquirere et obligari posse.*

Priori quaestioni nemo respondere voluit, quod ab Ordine valde doletur, cum thema propositum neque utilitate et iucunditate caruisset, neque nimia difficultate, si rectis suis finibus circumscriptum fuerit, laborasset. Proinde sperat idem Ordo, fore ut quae commilitonibus et ingenii iuste exercendi et laudis gloriaeque adipiscendae occasio offertur, non contemnatur, sed ut eadem quaestione repetita multi anno mox sequente in arena propugnaturi excitentur.

De altera quaestione exhibiti sunt Ordini libelli quatuor, his sententiis distincti.

Unus: Semper tentasse iuvabit.

Alter: Natura cupiditatem ingenuit homini, veri inveniendi.

Tertius: Omnia ad maiorem Dei gloriam.

Quartus: Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

Omnes hae commentationes elapso legitimo spatio oblatae sunt, ita ut propterea iam a certamine excludantur. Verum etsi Ordo minus severe de ista causa sentire vellet, aliae tamen rationes obfuerunt, quominus praemio ornari potuissent. Tres enim priores ab eo quod Ordo sperare iuste poterat, longe aberraverunt. Praeterea prima et tertia summa linguae et stili incuria conscriptae sunt. Quartus libellus, versu Horatii: *Multa tulit fecitque puer etc.*, insignitus, caeteros quidem et studio et rerum copia longe praecellit; sed cum iusta methodo non uteretur, cardinem propositae quaestionis non tetigit. Hinc e sententia Ordinis huic commentationi pro magnis, ut videtur, auctoris laboribus suae quidem laudes non denegandae sunt, ipsa tamen palma tribui non poterat.

Digitized by Google

IV. ORDO MEDICORUM hanc certaminis materiam definierat: Quaeritur: *num anatomia praesertim comparata et pathologica organi auditus animalium nec non experimentorum in animalibus vivis ope, aliquid circa singularum auris partium functiones extricari possit.*

Duae oblatae sunt commentationes:

Prima symbolo: Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κῶφα καὶ τυφλά.
Ἐπιχαρμος.

Secunda symbolo: Est aliquid medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignoratione coniuncta atque temperata.
Lactant.

inscriptae.

Quod ordo poposcit, ut de functione partium auris nova adderentur cognitis, praestitit neutra. Utraque tamen exhibet diligentiam, studium physiologicum, rei arduae perscrutationem. Decrevit ordo medicus, praemium, non quidem tamquam certaminis palmam, sed ad certantium in indefesso studio exhortationem, inter illos esse dividendum.

Laudat imprimis commentationem epigrammate graeco inscriptam, et litteris eruditiorem et experimentis diligenter institutis insignem.

Iam commentationis prioris auctor inventus est CAROLUS LUDOVICUS ESSER, Medicinae Studiosus, Coloniensis; alterius CAROLUS STEIFENSAND, Medicinae Studiosus, Rhenanus.

V. ORDO PHILOSOPHORUM tria promulgaverat argumenta, primum *philologicum*, alterum *physicum*, tertium e *litteris Arabicis* petitum.

Primum definitum fuit his verbis: *Disputetur de fabula Aesopica; primum universe de natura et indole lusuum poeticorum, quos fabulae Aesopeae nomine amplecti solemus; tum de huiuscemodi fabularum inter Graecos antiquitate, usu variisque generibus, ac de persona Aesopi; denique recenseatur, quidquid fabularum et dicteriorum in vulgatis Aesopicorum collectionibus praetermissum, in veterum libris occurrat, et cum illis comparetur ita, ut, quantam in hoc etiam genere iacturam fecerimus, patescat.*

Commentatio exhibita est una, hac cum tessera: Πάντως καὶ παρὰ τῶν ἡττόνων εἶναί τι χρηστόν, *etc.*, sed cui vel ἀμαχητί praemium Regium assignare haud dubitat ordo. Quae sit fabulae Aesopicae ratio et origo iudicio

Digitized by Google

philosophia subacto bene explicatum est; quod ad alteram quaestionis partem attinet, plurima ita sunt constituta, ut assensum cohibere nequeas, neque desunt, quibus augeatur notitia litterarum (eminent autem inter ea, quae de fabularum Locmanicarum, quae feruntur, fonte principali atque aetate eruuntur); denique fabulas aliquammultas novissimis etiam collectionibus addendas attulit auctor, Apophtegmata tamen sive ἀποκρίματα, utpote quae ab Aesopi nomine, causa quidem non sufficiente, seiungenda putaret, nihil curans. Iam quum iudicium rectum usuque aliquo exercitatum, acumen criticum et sagacitas, notio prisci aevi haud vulgaris, in temporibus probe discernendis diligentia merito possint praedicari; facilius condonabitur tum oratio omnino minus pressa et concinna, tum expositio parum dilucida, quum in quibusdam casui se regendum dederit scriptor, in aliorum opinionibus vel levioribus recensendis nimis saepe multus sit, nec enucleate satis et eleganter disputaverit. Quibus vitiis quo frequentius prima specimina litteraria laborare solent, eo impensius, qui in posterum de palma hac nostra decertabunt, admonendi sunt, ut retractandis subinde scriptis suis hac etiam ex parte satisfaciant exspectationi.

Quaestio physica porro haec erat:

> *Postulatur phaenomenorum electro-magnetismi, his temporibus a physicis celeberrimis observatorum expositio historica, coniuncta cum examine critico hypothesium, quae ad explicanda haec phaenomena prolatae sunt.*

Auctor commentationis, symbolo instructae: *Collegisse iuvat*, quae unica Ordini oblata est, in tradendis phaenomenis, hypothesibus exponendis diiudicandisque ita versatus est, eaque specimina industriae, scientiae, acuminis et ingenii exhibuit, ut praemium ei tribuere non dubitaverit Ordo. Summam etiam laudem meruisset, si frictionis quoque electricitatem respicere non omisisset; si in physicorum opinionibus quibusdam recensendis et refellendis ubique parem diligentiam adhibuisset, atque magnetis theoriam, physicis usque adhuc probatam, cuius mentionem fecit, paullo accuratius exposuisset, si denique propter nimium brevitatis studium perspicuitatem interdum non neglexisset, sermonisque latini integritatem ac puritatem.

In litteris Orientalibus proposuerat Ordo, *ut ex codice manuscripto*

Psephinam turrim illam excelsam ea in regione fuisse, quae huic emporio vicina est, videlicet inter castellum s. Helenae, et portam iudiciariam, certissimum mihi videtur. Iosephus vel aperte dicit vel innuit *k*), eam a porta Ephraim (nunc porta damascena vel bab-el-amud), parum distantem fuisse. Eam fuisse in extrema parte boreali Sionis, vel τῆς ἀνωπόλεως, e regione Acrae vel τῆς κατωπόλεως ei viae confinem, quam nunc harat bab-el-amud vocant, in quam descendis, si ex monasterio s. Salvatoris per viam dolorosam (harat-el-nasareh), orientem versus usque ad portam iudiciariam proficiscaris, ex aliis indiciis coniici potest.

Turris haec in ea muri tertii parte sita fuit, ubi ille in angulum ad septentrionem et occidentem situm abibat. Anguli autem nomen in aliam huius muri partem vix melius congruit, quam in hanc. Nam inde a psephina altera muri pars versus eam regionem tendebat, quae est inter occidentem solis et meridiem; altera vero septentrionem versus, deinde orientem versus e regione monumenti Helenae, Adiabenorum reginae, vergebat, unde per speluncas regias in longum ducta inde a porta Ephraem ad eam Herodis (nunc bab-ez-zahari) in angulari turri prope monumentum fullonis flectebatur, et antiquo muro coniuncta in valle Maeon inter Acram et Moriam in vallem Cedronem desinebat. Deinde probabilis coniectura est, in parte extrema boreali Sionis, et occidentali Acrae non simplicem fuisse murum, sed turrim altissimam, qua urbs a parte septentrionali aliis praesidiis spoliata contra irruentes hostes defendi posset.

Probant denique nostram sententiam reliquiae murorum ex saxis quadratis mirae magnitudinis constructorum, quos prope portam iudiciariam conspicis, quosque esse rudera huius turris, maximam veri speciem habet.

Tot igitur tantaque tertii muri vestigia adhuc ostendi possunt, ut, si illum alio modo describere velimus, quid de hac ruderum immanium serie statuendum sit, vix intelligi possit. Contra vestigia huius muri tertii, si eius descriptionem aliam proponere velimus, plane evanuisse concedendum esset; fragmenta enim moenium, quae magis versus septentrionem vel

k) Ios. de bell. iud. VI, 5.

Digitized by Google

occidentem vel meridiem conspiciuntur, recentiorum domuum reliquiae sunt *i*).

§. 6.

Ex iis quae de ambitu septentrionali Sionis et Acrae exposuimus, sat clare patet, magnam urbis hodiernae partem illam, quae est inter occasum solis et septentrionem, olim extra urbis moenia fuisse sitam, atque huc referendam esse etiam regionem eam, in qua sita est sanctissimi sepulcri ecclesia. Nihil igitur obstat, quominus sententiam, quam christianos semper tenuisse de Golgothae et sanctissimi sepulcri situ constat, amplectamur. Scriptores quidem christiani, qui de terra sancta tractarunt, fere omnes referunt: Golgotham, in qua Dominus Noster cruci suffixus sit, a parte urbis occidentali, ad septentrionem montis Sionis *a*) extra muros civitatis fuisse, sed Aelium Hadrianum, quum Hierosolymam a Tito et semetipso omnino destructam reparandam sibi susciperet, hac ex parte adeo ampliasse urbem, ut locum supplicii et sepulturae Dominicae intra murorum ambitum comprehenderit *b*).

Cum vero Hadrianus totum monumentum plurima humo aggesta penitus abdidisset *c*), locoque ita ad mediocrem altitudinem evecto, ac lapidibus obruto, aedem ac simulacrum Veneris imposuisset: Constantinus dissipatis omnibus impietatis monumentis, sepulcrum, egesta humo, aperuit,

i) cf. I. M. A. Scholz Reise p. 173. sq.

a) cf. Euseb. et s. Hieron. in libro de situ et nom. loc. Hebr. II. p. 451. ed. Mart., ubi ita refert: Golgotha, locus Calvariae, in quo Salvator pro salute omnium crucifixus est, et usque hodie ostenditur in Aelia ad *septentrionalem* plagam montis Sion.

b) Iacob. Hieros. in descript. itin. — Euseb. demonstr. evang. l. 4. p. 406.; de vita Constantini III, 25-35. — S. Cyrill. Hieros. Catech. XIV, 9. expresse dicit: petra, quae speluncam habuit, non intra veteres muros sed intra antemuralia postea extructa ἐν τοῖς ὕστερον γενομένοις προτειχίσμασι sita fuit.

c) quod quare fecerit Hadrianus, nisi locus tum temporis christianis, qui eum secundum morem Israelitarum visitarunt sacramque habuerunt, fuisset in maxima veneratione, non video.

Digitized by Google

eoque in loco *d*) ecclesiam aedificavit *e*). Permultae circa eam domus exstruebantur, atque orta est quasi nova Hierosolyma e regione veteris, ab hac eo tantum diversa, quod magis septentrionem versus et occidentem extendebatur,

§. 7.

Iam superest, ut delineationem Hierosolymae nostram huic disquisitioni annexam, quam itinerario meo addere tempus non patiebatur, exponam. In ea illius potissimum partis rationem fuisse habendam, quae argumentum nostrum spectat, vel me non monente, quivis facile intelligit. Caeterum accuratior haec nostra loci sanctissimi sepulcri definitio situi reliquorum locorum sanctorum, prouti Hierosolymae iis qui sacrorum causa peregrinantur, exponi solet, maximum affert pondus *a*).

Litera *a* designat locum sanctissimi sepulcri.
— *b* — — Golgothae.
— *c* — tertium murum.
— *d* — castellum pisanum vel turrim hippicam.

d) tametsi imperatoriis donis maxime ornatus esset, s. Cyrill. Hieros. tamen asserit Cat. 14, 5 et 9. suo etiam tempore horti vestigia et reliquias superfuisse. Verba eius haec sunt: εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα νῦν βασιλικαῖς δωρεαῖς ἐφαιδρόντο ἀλλὰ κῆπος ἦν πρότερον καὶ τὰ σύμβολα τούτου μένει καὶ τὰ λείψανα.

e) cf. Euseb. Vit. Constant. III, 25. 34. s. Cyrill. Hieros. cat. 12. n. 39. cat. 16. n. 4. cat. 4. n. 10 et 14. cat. 10. n. 18. cat. 13. n. 39., ubi in eadem saepe saepius se praedicasse asserit.

a) Iuvat praeterea repetere, quod iam in itinerario p. 185 asserui: *der unpartheiische Beobachter wird eingestehen, dass das, obgleich sehr veränderte Theater der heiligen Geschichte, so wie es jetzt gezeigt wird, so sehr mit den Beschreibungen der heiligen Schriftsteller und des* Flavius Iosephus *übereinstimmt, dass man eher auf die durch die Tradition bemerkten Orte als auf andere gerathen würde, wenn man ihre Lage zu bestimmen hätte.*

Digitized by Google

— *e* — murum hodiernum Hierosolymae.
— *f* — turrim psephinam.
— *g* — arcem Antoniam.
— *h* — templum Salomonis.
— *i* — portam mercatorum vel bab-el-chalil.
— *k* — — Sionis vel bab-ennibi-Daud.
— *l* — — stercoris vel bab-el-moggrebi.
— *m* — — s. Stephani vel bab-sette Mariam.
— *n* — — Herodis vel bab-essachre.
— *o* — — Damasci vel bab-el-amud.
— *p* — Bezetham.
— *q* — vallem caseariorum.
— *r* — forum quod dicitur δοκῶν ἀγορά.
— *s* — viam el-birket.
— *t* — — monasterii magni graecorum.
— *u* — — templi.
— *v* — — christianorum.
— *w* — monasterium S. Salvatoris vel monachorum ordinis s. Francisci.
— *x* — piscinam.
— *y* — castellum equitum ordini Ioannitarum adscriptorum.
— *z* — portam ferream.

— 1 — carcerem s. Petri, quem cum s. Petrus prout D. N. I. Ch. assecla crucis morte absumi deberet, loco supplicii vicinum fuisse, vix dubitari potest.
— 2 — castellum s. Helenae.
— 3 — portam iudiciariam.
— 4 — viam magnam vel suk-el-kebir.

Sed haec hactenus. Venio ad primarium huius libelli consilium, quandoquidem indicendus nobis est

Digitized by Google

NATALIS

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS

FRIDERICI GUILELMI III

OPTIMI UNIVERSITATIS BORUSSICAE RHENANAE
STATORIS ATQUE EVERGETAE

publica oratione cantuque celebrandus.

Habebimus autem solertem interpretem laetitiae et pietatis nostrae collegam doctissimum ac celeberrimum Aug. Ferdinandum Naeke.

Post pie nuncupata vota collegiorum iudicia de dissertationibus, ad quas elaborandas propositae superiore anno ad certamen quaestiones occasionem dedere, promulgabuntur et victores renuntiabuntur.

Ad hanc igitur panegyrin omnes literarum fautores cultoresque, vos inprimis, quorum in hac nostra civitate litteraria partes sunt, huius Academiae Professores et Doctores celeberrimi, Commilitones ornatissimi ea, qua decet observantia et humanitate invitamus.

Verum est etiam nobis, quod certamina illa attinet, aliquid negotii impositum.

Referendum est enim de iis, qui ante hunc annum aut coronati fuerunt aut parte praemii ornati, tum nova proponenda iuvenili diligentiae incitamenta. Ea de re haec nobiscum communicata sunt:

I. ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM commilitonibus in arenam descensuris proposuerat hasce duas quaestiones, *alteram* quidem iteratam illam „*de finitioribus christianae fidei ante Synodum Nicaenam formulis, earumque initiis atque augmentis*," *alteram* vero novam hanc:

Digitized by Google

»*Exponatur doctrina biblica de diabolo, ita, ut insignioribus, quae huc faciunt, V. tum N. T. locis breviter illustratis, tales inde notiones ac definitiones, quibus scholastica dogmatum doctrina utitur, i. e. quae ab omni verborum atque imaginum ambiguitate liberae sint atque reductae, eliciantur, idoneisque rationibus firmentur.*«

Quod ad priorem illam quaestionem attinet, qui huic solvendae operam navaret, navatumque opus qualecunque nobis offerret, exstitit nemo. Qua de re quamvis magnopere dolendum, iisdemque de caussis, quas ante annum oravimus, conquerendum nobis fuit de commilitonum in hoc studiorum genere inter se certantium paucitate, imo defectu: tamen vehementer gavisi sumus de duorum civium alacritate, qui ad alterius quaestionis tractationem sese accinxerint. Exhibitae enim nobis sunt de hoc argumento commentationes duae, altera his insignita verbis: *Ut desint vires, tamen est spectanda voluntas!* altera dicto illo Paulino ornata: Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν.

Fatemur quidem, neutram desideriis nostris omni ex parte satisfecisse, imo utramque hinc inde imperfectiorem altera evasisse. At vero, quum maiores solito in utraque eminerent atque apparerent et eruditionis et ingenii virtutes, ad certamen ambae facili admissae sunt negotio.

Atque ea, quam primo loco nominavimus, primo quidem adspectu palmam alteri praerepturа nobis videbatur. Est enim scripta stylo paulo cultiori, quamvis multa sint, quae merito reprehendas. Gaudet praeterea speciosa doctrinae philologiae copia, linguarumque imprimis Orientalium promta cognitione et accurata. Neque plane in ea desiderantur in doctrina theologica usus, in indicio elegantia et acumen. Idem vero quum sensum quaestionis parum intellexerit, eiusdemque partem alteram eamque graviorem neglexerit totam atque omiserit, multaque, quae ad speciem magis, quam ad rem facere viderentur, advexerit aliena, itemque res undique congestas non modo non digesserit, verum etiam iustam tractationis dispositionem temere contemserit, denique gravitatem rei theologicam nimis alienam a se putaverit, factum est, ut spe summi praemii defectus aemulo victoria cederet.

Etenim alterius auctor commentationis totum propositae quaestionis ambitum, interioremque vim probe emensus atque perscrutatus non solum

Digitized by Google

loca utriusque scripturae huc facientia quam diligentissime collegit, collecta rite disposuit, nec sine egregia doctrinae artisque exegeticae facultate illustravit, sed etiam in altera quaestionis parte ita versatus est, ut in investigandis explicandisque notionum biblicarum initiis et incrementis, earumque causis penitioribus extricandis praeclara felicioris ingenii lumina ederet, neque raro verum suo ipse videret acumine. Abstinuit ille quidem a recensendis aliorum sententiis, adeoque omnem apparatum litterarium a commentariolo suo abesse maluit: licet non prorsus laudandus, lectionis tamen suae specimina quamvis tacita prodidit haud obscura. Atque, quod his nostris maxime temporibus imprimis laude dignum videbatur, suo, eoque *libero* ubique iudicio usus est, eodemque tamen modestissimo. Qui quum talis esset, profecto omne tulisset punctum, si modo latinitate usus fuisset castiori, atque barbarismos acrius cavisset, itemque in singulis locis illustrandis ex praescripto aliquanto fuisset parcior, in enodandis vero notionibus dogmaticis, formandisque definitionibus scholasticis prolixior fusiorque.

Quibus omnibus rite religioseque perpensis censuit ordo, ut commentatio, quae spei servatricis nomen et omen in fronte gerit, praemio ornaretur maximo, altera vero in secundo gradu atque praemio cum honore subsisteret.

Hanc commentationem qui scripsit, est PETRUS A BOHLEN, philologiae studiosus, Oldenburgicus; illam qui scripsit, est ANTONIUS ERNEST. GIESELER, theologiae evangelicae studiosus, Guestphalus.

II. ORDINI THEOLOGORUM CATHOLICORUM, qui ad certamen argumentum proposuerat hocce: »*enarretur ex ipsis fontibus, quae crimina primis ecclesiae saeculis in christianos coniecerint Judaei et Ethnici, quid calumniandi ansam dederit; et quibus potissimum argumentis christianae religionis defensores insimulationes has refutaverint:* una tantum exhibita est commentatio.

Quae, cum ob res diligenter a scriptore conquisitas, accuratamque iudicandi scribendique rationem etsi hanc non omnibus numeris absolutam dicas, merito laudetur, ex maiori numero suffragiorum palma digna habita est.

Digitized by Google

Hunc libellum scripsit IO. IOS. GUIL. BRAUN, Theolog. Cathol. Studios., Borusso-Rhenanus ex pago Gronau.

III. ORDO ICTORUM duas proposuerat quaestiones has:
Unam: *de conditionibus probationis per testes ex vetere iure Germanico.*
Alteram: *Quaenam ratio et quae fata fuerint in iure Romano regulae: per extraneam personam neminem acquirere et obligari posse.*

Priori quaestioni nemo respondere voluit, quod ab Ordine valde doletur, cum thema propositum neque utilitate et iucunditate caruisset, neque nimia difficultate, si rectis suis finibus circumscriptum fuerit, laborasset. Proinde sperat idem Ordo, fore ut quae commilitonibus et ingenii iuste exercendi et laudis gloriaeque adipiscendae occasio offertur, non contemnatur, sed ut eadem quaestione repetita multi anno mox sequente in arena propugnaturi excitentur.

De altera quaestione exhibiti sunt Ordini libelli quatuor, his sententiis distincti.

Unus: Semper tentasse iuvabit.

Alter: Natura cupiditatem ingenuit homini, veri inveniendi.

Tertius: Omnia ad maiorem Dei gloriam.

Quartus: Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

Omnes hae commentationes elapso legitimo spatio oblatae sunt, ita ut propterea iam a certamine excludantur. Verum etsi Ordo minus severe de ista causa sentire vellet, aliae tamen rationes obfuerunt, quominus praemio ornari potuissent. Tres enim priores ab eo quod Ordo sperare iuste poterat, longe aberraverunt. Praeterea prima et tertia summa linguae et stili incuria conscriptae sunt. Quartus libellus, versu Horatii: *Multa tulit fecitque puer etc.*, insignitus, caeteros quidem et studio et rerum copia longe praecellit; sed cum iusta methodo non uteretur, cardinem propositae quaestionis non tetigit. Hinc e sententia Ordinis huic commentationi pro magnis, ut videtur, auctoris laboribus suae quidem laudes non denegandae sunt, ipsa tamen palma tribui non poterat.

Digitized by Google

IV. ORDO MEDICORUM hanc certaminis materiam definierat: Quaeritur: *num anatomia praesertim comparata et pathologica organi auditus animalium nec non experimentorum in animalibus vivis ope, aliquid circa singularum auris partium functiones extricari possit.*

Duae oblatae sunt commentationes:

Prima symbolo: Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τ᾽ἄλλα κῶφα καὶ τυφλά.
Ἐπιχαρμος.

Secunda symbolo: Est aliquid medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignoratione coniuncta atque temperata.
Lactant.

inscriptae.

Quod ordo poposcit, ut de functione partium auris nova adderentur cognitis, praestitit neutra. Utraque tamen exhibet diligentiam, studium physiologicum, rei arduae perscrutationem. Decrevit ordo medicus, praemium, non quidem tamquam certaminis palmam, sed ad certantium in indefesso studio exhortationem, inter illos esse dividendum.

Laudat imprimis commentationem epigrammate graeco inscriptam, et litteris eruditiorem et experimentis diligenter institutis insignem.

Iam commentationis prioris auctor inventus est CAROLUS LUDOVICUS ESSER, Medicinae Studiosus, Coloniensis; alterius CAROLUS STEIFENSAND, Medicinae Studiosus, Rhenanus.

V. ORDO PHILOSOPHORUM tria promulgaverat argumenta, primum *philologicum*, alterum *physicum*, tertium e *litteris Arabicis* petitum.

Primum definitum fuit his verbis: *Disputetur de fabula Aesopica; primum universe de natura et indole lusuum poeticorum, quos fabulae Aesopeae nomine amplecti solemus; tum de huiuscemodi fabularum inter Graecos antiquitate, usu variisque generibus, ac de persona Aesopi; denique recenseatur, quidquid fabularum et dicteriorum in vulgatis Aesopicorum collectionibus praetermissum, in veterum libris occurrat, et cum illis comparetur ita, ut, quantam in hoc etiam genere iacturam fecerimus, patescat.*

Commentatio exhibita est una, hac cum tessera: Πάντως καὶ παρὰ τῶν ἡττόνων εἶναί τι χρηστόν, *etc.*, sed cui vel ἀμαχητί praemium Regium assignare haud dubitat ordo. Quae sit fabulae Aesopicae ratio et origo iudicio

Digitized by Google

philosophia subacto bene explicatum est; quod ad alteram quaestionis partem attinet, plurima ita sunt constituta, ut assensum cohibere nequeas, neque desunt, quibus augeatur notitia litterarum (eminent autem inter ea, quae de fabularum Locmanicarum, quae feruntur, fonte principali atque aetate eruuntur); denique fabulas aliquammultas novissimis etiam collectionibus addendas attulit auctor, Apophtegmata tamen sive ἀποκρίματα, utpote quae ab Aesopi nomine, causa quidem non sufficiente, seiungenda putaret, nihil curans. Iam quum iudicium rectum usuque aliquo exercitatum, acumen criticum et sagacitas, notio prisci aevi haud vulgaris, in temporibus probe discernendis diligentia merito possint praedicari; facilius condonabitur tum oratio omnino minus pressa et concinna, tum expositio parum dilucida, quum in quibusdam casui se regendum dederit scriptor, in aliorum opinionibus vel levioribus recensendis nimis saepe multus sit, nec enucleate satis et eleganter disputaverit. Quibus vitiis quo frequentius prima specimina litteraria laborare solent, eo impensius, qui in posterum de palma hac nostra decertabunt, admonendi sunt, ut retractandis subinde scriptis suis hac etiam ex parte satisfaciant exspectationi.

Quaestio physica porro haec erat:

Postulatur phaenomenorum electro-magnetismi, his temporibus a physicis celeberrimis observatorum expositio historica, coniuncta cum examine critico hypothesium, quae ad explicanda haec phaenomena prolatae sunt.

Auctor commentationis, symbolo instructae: *Collegisse iuvat*, quae unica Ordini oblata est, in tradendis phaenomenis, hypothesibus exponendis diiudicandisque ita versatus est, eaque specimina industriae, scientiae, acuminis et ingenii exhibuit, ut praemium ei tribuere non dubitaverit Ordo. Summam etiam laudem meruisset, si frictionis quoque electricitatem respicere non omisisset; si in physicorum opinionibus quibusdam recensendis et refellendis ubique parem diligentiam adhibuisset, atque magnetis theoriam, physicis usque adhuc probatam, cuius mentionem fecit, paullo accuratius exposuisset, si denique propter nimium brevitatis studium perspicuitatem interdum non neglexisset, sermonisque latini integritatem ac puritatem.

In litteris Orientalibus proposuerat Ordo, *ut ex codice manuscripto*

natura et indoles Motenabbii poetae Arabum celeberrimi describeretur. Cuius quaestionis difficultas quum tanta esset, ut multos ab incepto deterrere posset, Ordini non speranti perfectum quid gratum accidit, quod una commentatio verbis Schakspearii insignita.

»*The poets eye in a fine frenzy rolling*
Doth glance from heaven tho earth, from earth tho heaven«

et multa digna laude certaminis causa tradita erat. Auctorem huius commentationis: quum rerum maxime necessariarum rationem non habens, pluribus ad rem explicandam minus aptis maiorem, quam par erat, operam dicans et in singulis interdum negligentia multum vituperanda usus rem ad finem non bene perduxerit, non potest non Ordo monere, ne in posterum negligentia nimiaque festinatione fructus studii diligentiaeque amittat. Sed quo est erga iuvenes doctos et diligentes animo paterno propter multa in hac commentatione laudanda, ex quibus natura et indoles huius poetae cognoscitur, ut excitaret augeretque animos, unanimi consensu praemium auctori adiudicari decrevit.

Primam commentationem qui scripsit est GUILELMUS HENRICUS GRAUERT, Philologiae Studiosus, Monasteriensis.

Secundam, qui scripsit, est GUILELMUS HERMANN, Mathes. Stud., Coloniensis.

Tertiam qui scripsit, est PETRUS A BOHLEN, Philologiae Studiosus ex Iever.

Superest, ut promulgentur quaestiones in annum proximum a singulis ordinibus constitutae:

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM

duplicem proponit quaestionem:

I. Quaeritur, tum quibusnam in locis doctrina de aeterna praedestinatione et electione Dei, quam proponit formula concordiae, differat a placitis Calvini, tum autem, quanam ratione ab Aegidio Hunnio illa uberius coepta sit explicari?

II. De authentia evangelii Matthaei, quo iure nuper in dubium vocata sit?

Utriusque quaestionis solutioni praemium L. Thaler. est destinatum.

Digitized by Google

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM

hoc postulat:

In sacramento poenitentiae quid operetur Deus, quidque faciendum sit homini, ut fructus eius percipiat, clare ostendatur ex divina revelatione; ita, ut hominis cum Deo nexus appareat.

ORDO ICTORUM

desiderat:

«ut accurate et diligenter ex ipsis fontibus exponatur doctrina iuris Romani de capitis deminutione minima eiusque relatione ad statum familiae.»

ORDO MEDICORUM

in annum posterum proponit:

«Indagetur atque experimentis, quantum fieri possit, tam in homine sano atque aegroto, quam in brutis institutis, profundius extricetur: an et quo modo, habito respectu ad eorum vires et virtutes, bases calinae ex Opio, Hyoscyamo et Belladonna, nostris diebus eductae, et salia ex iis parata differant a partibus constitutivis sive elementis proximis vegetabilibus, quales in formis illarum plantarum hucusque usitatis in arte medica adhibebantur?»

ORDO PHILOSOPHORUM

duas ex ordine proponit quaestiones, Philologicam alteram, alteram Mathematicam, quarum argumenta haec sunt:

I. Leges et praecepta grammatica sermonis Latini, quae primus Dionysius Lambinus sequi coepit in emendando Cicerone, et postea Ernestius audacius incautiusque usurpavit, ut falsis regulis permultos locos corruperit; imprimisque illa, quae sunt de temporibus ac modis et de consecutione temporum, ea omnia, ita ut nihil fere omittatur, ex Lambini et Ernestii commentariis colligantur atque ad genera sua et classes digesta, singula examinentur, et rationibus

4

Digitized by Google

aut confirmentur aut confutentur; adhibitis in consilium et subsidium quae posteriores Critici Ciceronis, Heusingerii, Goerenzius, alii, tum quae novissimi Grammatici linguae Latinae iisdem de rebus varie disputant.

II. Libri de sectione determinata tertii, Apollonio Pergaeo a Roberto Simsone additi, problemata constructionibus, determinationibus et demonstrationibus simili ratione, qua nuper factum est, instruantur.

Quibus duabus ordinariis quaestionibus tertia accedit extraordinaria, eaque ex genere oratorio. Praemium erit XXXV argenteorum, et insignis favor, si quis (id quod optamus maxime et speramus) in praeclaro argumento oratoris partes probabiliter sustinebit. Igitur ordo proponit orationi scribendae *laudes et gloriam Friderici Guilelmi, Magni Principis Electoris Brandenburgici.*

Agite igitur, Commilitones, habetis in quo vires vestras exerceatis. Scitis autem messem plerumque respondere sementi, nec praemii lucro aestimandum esse certamen, quod inibitis, sed utilitate, quae inde in omnem studiorum vestrorum rationem redundabit. Reliquum est ut Deum ter optimum maximum publica vice comprecer, ut quando academiam nostram insigni statoris illius dilectissimi clementia florentissimam esse voluit, vobis beneficio suo faveat viresque vestras ad ornamentum et incrementum rei litterariae, dignitatem et amplitudinem almae huius Rhenanae promptas, expositas et dicatas esse iubeat.

D. XXV. mensis Iulii 1825.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


Widener Library
3 2044 098 162 738

Digitized by Google